re, & contingenter agant. Et hæc bene notanda sunt. Sed jam nos vocant Adversariorum querelæ. Audiamus.

§. II.

Solvuntur argumenta.

XX. Objiciunt primo. Ponere voluntatem Dei, ejusque decretum ab intrinseco efficax, videtur accedere ad errorem Calvini, qui propterea omnem creatam libertatem negavit; quia gratiam ita efficacem ponebat, ut nulla potentia possit ei voluntas creata resistere. Contra quem Tridentinum *sess. 6. can. 6.* 4. Statuit *liberum hominis arbitrium a Deo moveri & excitatum posse dissentire, si velit*: atqui ponere decretum ab intrinseco efficax, est illud ponere tale, ut nulla potentia possit ei resisti, & stante tali decreto non possit liberum arbitrium ab eo motum ei dissentire, si velit; ergo &c.

XI. Ut appareat, quantum a Calvini errore distet nostra, & D. Thomæ doctrina, observo, quod, sicut S. Augustinus de suis temporibus dicebat, *lib. de gratia, & liber. arbitr. c.* 1. *sunt quidam, qui sic gratiam Dei defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium* (& hi erant Manichæi) *aut quando gratia defenditur, negari existiment liberum arbitrium* (& hi erant Semipelagiani, & Pelagiani) ita de nostris temporibus dicere possumus. Quidam enim videntes in Scripturis divinam voluntatem tantæ esse efficaciæ, ut ei non possit resisti; gratiam Dei, corda hominum vertere, emollire, quocumque voluerit inclinare, intulerunt, gratiam Dei ita libero arbitrio dominari, ut ipsum prorsus extinguat, eique insideat, sicut sessor insidet æquo, fræno, & calcaribus quocumque voluerit impellendo: ita ut homo sub gratia sponte quidem, & voluntarie agat, sed non libere libertate saltem indifferentiæ. Ita Calvinus *lib. 2. Instit. cap.* 4. & 5. cui in hoc adhærere visus est Jansenius. Alii vero timentes, ne, si totum dent gratiæ, & eam suapte natura efficacem fateantur, liberum hominis arbitrium everatur, & ad necessario agendum adigatur, gratiam quidem statuunt, at suapte natura indifferentem, quæ solum reddatur efficax ex consensu prævisso. Ita sentiunt Molinæ Discipuli. At vera D. Thomæ Schola, neque ad dexteram, neque ad sinistram declinans, sed medium tenens, gratiæ energiam, ac efficaciam tuetur, & liberi arbitrii creati jura defendit. Quapropter cum Calvino, nec in antecedente, nec in consequente, nec in consequentia convenit. Non in antecedente: quia Calvinus statuit hoc antecedens, gratia efficax liberum arbitrium extinguit (quod & Molinistæ dicunt) Thomistæ vero cum D. Thom. dicunt, gratiæ efficaciam facere libertatem, & arbitrii indifferentiam expedire, non lædere. Non in consequente: quia Calvinus liberum arbitrium de facto tollit; Thomistæ illud sincere prædicant. Non in consequentia: quia Calvinus ex efficacia gratiæ infert liberi arbitrii destructionem; Thomistæ ex eadem inferunt liberi arbitrii positionem. Licet autem Calvinus usurpet aliquando distinctionem sensus compositi, & divisi, quam etiam usurpant Thomistæ cum Div. Thoma, & Patribus; non tamen legitimæ ac sincere significatum illarum vocum admittit: sed malitiose illis abutitur. An autem Molinistæ ita a Pelagio, & suis asseclis secernantur; pie credimus: at probare ipsorum est, non nostrum.

XII. Dico quidem. Concilium Tridentinum ipsis non favere: immo adversari. Primo, quia ponit Deum sic prævenire, ut maneat libertas: quod significat præventionem Dei non tollere libertatem. Secundo, quia dicit, liberum arbitrium a Deo moveri, & cor tangi, ergo ex mente Concilii Deus non solum cum causa agendum agit, sed agit in causam eam movens, & faciens, ut agat. Tertio, quia Concilium dicit, liberum arbitrium a Deo motum non se habere *mere passive*: si autem sentiret, liberum arbitrium non proprie moveri a Deo motione reali intrinseca tangente ipsum, deberet simpliciter negare, quod se habeat passive, non solum quod *mere passive* per hoc enim significat, quod esto se habeat passive, non tamen prorsus passive, sive nihil agat, sed partim passive recipiendo motionem, partim active, quia sic patitur, ut agat etiam: nec sic velit quoddam inanime. Hoc hausisse puto ex Aug. *lib. de corrept. & gratia c.* 1. ubi quibusdam; ita conquirentibus: *Ut quid nobis prædicatur, atque præcipitur, ut declinemus a malo, & faciamus bonum: si hoc non agimus; sed id velle, & operari Deus operatur in nobis?* Ita respondet. *Proprius intelligant, si Filii Dei sunt. Spiritu Dei se agi, ut quod agendum est agant, & cum egerint, illi a quo agunt, gratias agant. Aguntur enim ut agant, non ut ipsi nihil agant &c.*

XIII. Quare ad id, quod Concilium dicit, posse nimirum liberum arbitrium abjicere inspirationem, & dissentire Deo vocanti si velit; Respondeo primo, Concilium recte intelligi posse de gratia, seu Deo movente, & excitante solum moraliter, per suasiones, & inspirationes, aut bona desideria; quæ certum est posse ab homine respui, & abjici, etiam in sensu composito, juxta illud Prov. 1. *Vocavi & renuistis*: ideoque dicit, liberum arbitrium *a Deo motum, & excitatum*, quo ita homini suadetur, ut uni persuadeatur, alteri non, ut ait August. *lib. de spiritu, & litt. cap.* 34. non vero de gratia, seu de Deo physice movente, hæc enim motio nunquam abjicitur, nec pure excitat: sed facit, ut faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati, ut superius dictum est cum Aug. *lib. de grat. & lib. arb. c.* 16.

XIV. Respondeo secundo, recte quoque posse exponi Concilium de gratia, & Deo physice efficaciter movente; sed verba Concilii cum distinctione interpretanda sunt, nimirum: liberum arbitrium a Deo motum, &c. posse motionem abjicere, & dissentire, positive resistendo motioni, & conjungendo dissensum cum motione efficaci ad consensum, seu in sensu composito, nego quod hæc sit mens Concilii. Negative, ita ut liberum arbitrium motum, adhuc retineat indifferentiam ad ponendum dissensum absolute, & præcisive a motione ad consensum, seu in sensu diviso, concedo, quod hæc sit mens Concilii, Quod sic ostendo. Cum enim Patres, qui Concilium formabant memores essent Scripturæ dicentis Deo: *nemo est, qui tuæ possit resistere voluntati: Voluntati enim ejus quis resistit, & omnia quæcumque voluit fecit*: memores etiam essent verborum S. August. in *Enchirid. cap.* 95, effectum voluntatis divinæ non posse impediri per voluntatem creaturæ, & *lib. de prædest. SS.* dicentis cap. 8. *Hæc itaque gratia, quæ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur. Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur*: cumque scirent, naturam gratiæ efficacis (undecumque sit efficax) esse, ut suo effectu non frustretur, alias esset efficax, & non esset; non poterat eis venire in mentem, quod liberum arbitrium posset gratiæ efficaci resistere, & cum ea oppositum conjungere: ideoque non dixerunt, ut intendit Arganens, liberum arbitrium Deo moventi posse resistere. Sed solum voluerunt, liberum arbitrium a Deo motum, non necessitari ad volendum, ut Calvinus asserebat; sed adhuc retinere indifferentiam potestatis ad non volendum, seu ad dissentiendum absolute; seu ad ponendum dissensum divisive a motione. Quod eo magis confirmo: quia Concilium *cap. illo 5. Sess.* 6. ponit ab homine recipi inspirationem illam, quam dicit posse abjici: evidens autem est fieri non posse, ut illam simul recipiat, & abjiciat; ergo quando dicit, illam inspirationem, quæ recipitur, posse abjici, debet intelligi in sensu diviso: & hoc ad revincendum Calvinum satis erat. Cum enim iste solam poneret gratiam efficacem necessitantem ad agendum omni gratia mere sufficiente seclusa, omnemque indifferentiam potestatis voluntati eriperet: Concilium statuit duo; nimirum dari gratiam sufficientem excitantem, prævenientem, dantem posse; & ulterius gratiam efficaciter cor tangentem, cum indifferentia tamen: quia, cum illa consentiat illuminationi, ut eam absolute possit abjicere, & consensus super illa fundetur, fit, ut ex consequenti, licet efficacia ficiat, ut de facto non dissentiat, possit tamen, adhuc stante gratia efficaci, dissentire, quod Calvinus negabat.

XV. Objicies Secundo. Efficacia, & determinatio decreti divini ad ponendum actum liberum non est in nostra potestate, ut nobis detur: dat enim Deus hujusmodi gratiam prout vult, cui vult, quando vult, antecedit siquidem omnem nostrum actum, & consensum ex parte nostra. Nec est in nostra potestate, ut semel data repellatur, & frustretur; ita ut de facto stante illa efficacia voluntas humana dissentiat; ergo illa efficacia tollit libertatem. Ant. est certum. Consequentia vero probatur. Tunc efficacia libertatem tollit, quando est suppositio antecedens causans in voluntate determinationem ad unum, non relinquendo in ea potestatem, sive ad talem motionem expellendam, sive ad faciendam, ut stante ea possit ab exercitio cessare: quando enim sub tali motione voluntas exit in actum, exit ut determinata antecedenter, & sine ulla indifferentia, & potestate ad oppositum; quis exit sine potestate in id, quo posito, impossibile est poni oppositum.

XVI. Hæc, & similia olim opposita fuere D. Augustino, & ab eodem contrita, ut constat ex epist. Prosperi, & Hilarii, quæ stant ante libros *de prædestinat. SS. & de dono Perseverantiæ*. Refert enim Prosper, Semipelagianos dicere: *Removeri omnem industriam, tollique virtutes; si Dei constitutio humanas præveniat voluntates, & sub hoc prædestinationis nomine fatalem quamdam induci necessitatem*. Hilarius etiam eorum sententiam circa perseverantiam recensens, ait, moleste eos ferre, quod hominibus prædestinatis non solum detur id, *sine quo perseverantes esse non possunt, verum etiam; ut per hoc donum nonnisi perseverantes sint*. Dicebant enim ex hoc *quamdam desperationem hominibus exhiberi*. Quibus tantum abfuit, ut Augustinus, quæ dixerat retractaret, aut emolliret, quin potius jam dicta confirmans *lib. de Prædestin. SS. cap.* 8. dixerat: *Hæc itaque gratia, qua occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur, ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia penitus auferatur*.

Et *lib. de gratia, & lib. arbitr. c.* 20. directe respondens: *satis* (inquit) *me disputasse arbitror adversus eos, qui Gratiam Dei vehementer oppugnant, qua Voluntas humana non tollitur, sed ex mala mutatur in bonam, & cum bona fuerit, adjuvatur; & sic disputasse, ut non magis ego, quam divina ipsa Scriptura locuta sit evidentissimis testimoniis veritatis, qua Scriptura divina, si diligenter inspiciatur, ostendit, non solum bonas hominum voluntates, quas ipse facit ex malis, & a se factas bonas in actus bonos, & in æternam dirigit vitam: verum etiam illas, quæ conservant sæculi creaturam, ita esse in Dei potestate, ut eas quo voluerit, quando voluerit faciat inclinari &c.* Sic ergo gratiam defendit S. August. ut antecedat, ac præveniat humanas voluntates, sit efficax, ut a nullo duro corde respuatur, quocumque voluerit, & quando voluerit inclinet voluntatem, quin liberum arbitrium lædatur; sed ex malo vertatur in bonum, & cum bonum fecerit adjuvetur.

XVII. Hæc eadem sibi objecit S. Thomas 1. *p. q.* 19. *art.* 8. *in* 3. sic. *Omnis causa, quæ non potest impediri, ex necessitate suum effectum producit, quia & natura semper idem operatur, nisi aliquid impediat; ut dicitur in secundo Physic. sed voluntas Dei non potest impediri: dicit enim Apost. ad Rom.* 9. Voluntati enim ejus quis resistit? *ergo voluntas Dei imponit rebus volitis necessitatem*. Et in tertio sic. *Illud quod habet necessitatem ex priori, est necessarium absolute . . . sed res creata a Deo comparantur ad voluntatem divinam, sicut ad aliquid prius, a quo habent necessitatem: cum hæc conditionalis sit vera: si aliquid Deus vult, illud est. Omnis autem conditionalis vera est necessaria: sequitur ergo, quod omne quod Deus vult sit necessarium absolute*. Nonne hæc iisdem fere terminis sunt, quæ nobis a Mediistis objiciuntur?

His autem quomodo respondet D. Thomas? Nunquid negat voluntatem divinam non posse impediri? nunquid negat voluntatem divinam quatenus efficacem antecedere, & esse priorem rebus creatis, & nostris actibus? Nequaquam: Asserit, voluntatem divinam non posse impediri, aut ei resisti; asserit, & antecedere, & esse priorem, & necessario necessitate consequentiæ inferre ea, quæ vult, & tamen salvat in rebus libertatem. Audiant ergo. *Ad secundum dicendum, quod ex hoc, quod voluntati divinæ nihil resistit, sequitur, quod non solum fiant ea, quæ Deus vult fieri, sed quod fiant contingenter, vel necessario, quæ sic fieri vult*. En quomodo ex eodem principio, quo Adversarii putant destrui, S. D. asserit libertatem, & contingentiam. Rursus: *Ad tertium* (inquit) *dicendum, quod posteriora habent necessitatem a prioribus secundum modum priorum: unde & ea, quæ fiunt a voluntate divina, eadem necessitatem habent, qualem Deus vult, illa habere, scilicet, vel absolutam, vel conditionalem tantum, & sic non omnia fiunt necessaria absolute*. Quare ex efficacia antecedente voluntatis divinæ solum infert D. Thoma, necessitatem conditionalem, nempe, quod si Deus vult hoc esse, hoc erit, quæ non obstat contingentiæ, & libertati. Quod apertius de voluntate creata docuit 1. 2. *q.* 10. *art.* 4. *ad* 3. dicens; *Si Deus determinat voluntatem ad aliquid, impossibile est poni, quod voluntas ad illud non moveatur: non tamen est impossibile simpliciter; unde non sequitur, quod voluntas a Deo ex necessitate moveatur*.

XVIII. Ex dictis patet solutio ad propositum argumentum, conc. antecedente, nego consequentiam. Ad probat. distinguo ant. Quando illa suppositio antecedens est a causa volente, & causante substantiam actus, & non modum actus, concedo. Quando est a causa volente, & causante substantiam, & modum actus, neg. ant. Vel aliter dist. Quando illa suppositio antecedens est secundum naturam, immo exigita a natura libertatis, neg. ant. non enim tollit, sed facit libertatem. Quando non est juxta naturam, neque exigita a natura libertatis, conc. antec. Ex quo ergo voluntas Dei sit efficacissima, sequitur, quod non solum fiat id, quod vult fieri, sed quod fiat eo modo quo fieri vult; unde: cum velit actus liberos fieri libere, tantum abest, ut libere non fiant, quin potius nihil impedire possit, ne libere fiant. Immo nihil libere fieret, si Deus id efficaciter non vellet cum natura voluntatis creatæ talis sit, ut nihil libere agat nisi eo, qui causa voluntatis est, faciente, ut agat. Quare esto suppositio antecedens, quæ non sit ipsa Dei voluntas, & quæ a natura voluntatis non exigatur, non cohæreat cum libertate; tamen suppositio antecedens, quæ Dei libertas est, qui naturam voluntatis condidit, & qui in ea agit secundum ejus conditionem, non solum libertatem non evacuat, sed libertatem facit. Et licet ea posita sequatur actus, ita ut non possit non sequi, sequitur tamen, pro ut Deus vult illum sequi, idest necessario necessitate conditionata, quatenus si Deus vult actum esse, erit; non tamen necessitate absoluta, quæ sola libertati obstat. Hæc est Doctrina S. Thomæ.

XIX. Neque ex hoc, quod divina voluntas sit hypothesis a nobis impedibilis, seu antecedens, quam ponere, vel tollere non est in nostra potestate, sequitur, quod id, quod ex ea sequitur, in nostra potestate non sit. Nam ut refert Sylvius *de motione primi motoris p.* 4. *art.* 3. propositio sub simili forma nempe: *quod sequitur ex inimpendibili, ipsum quoque est inimpendibile*: procurantibus Lovaniensibus (ut ex Actis illius temporis constat) damnata fuit Romæ sub *Sixto IV. anno* 1476. Et jure quidem. Nam ex hac hypothesi, seu antecedente, quod non est in potestate humana: *Deus ab æterno decrevit pati Christum suum*, secutum est necessario, seu infallibiliter hoc consequens: *Christus est passus*: quod tamen sic erat in potestate humana Christi, ut dicatur Isaiæ 53. v. 7. *Oblatus est, quia ipse voluit*. Præterea si dicta axiomata vera sunt, omnia erunt necessaria, & nihil contingens; quia omnia ex hypothesi, & antecedente, quod non est in nostra potestate, divina scilicet ordinatione, providentia, & voluntate, quæ omnia ab æterno decrevit facere, & voluit omnia, quæ in tempore facit, procedunt.

Tertio, præfatum axioma destruit Mediistarum sistema. Nam vocatio Petri congrua non est in Petri potestate, nec a Petro potest impediri; & cum ex ea sequatur infallibiliter Petri conversio, hæc enim conditionalis est necessaria. *Si Deus congrue vocaverit Petrum, Petrus convertetur*; ergo Petri conversio non erit in ejus potestate, quia in ejus potestate non est congrua vocatio?

XX. Nunc explicandum superest, quomodo actus in nostra potestate esse possit, cum in nostra potestate non sit ponere, vel auferre divinam voluntatem, qua posita actus ita sequitur, ut nulla potentia possit non sequi. Hoc tamen auxiliante Deo, ope D. Thomæ præstabimus, supponendo ex doctrina ejus, quod contingentia, aut necessitas actus non sumitur ex causa suprema, prima, sed ex causa proxima: ita ut effectus, *possit esse contingens propter causam proximam contingentem*, etiam si causa superior, & universalis sit necessaria: *Sicut germinatio plantæ est contingens propter causam proximam contingentem, licet motor Solis, qui est causa prima, sit necessarius*; & *similiter scitu a Deo sit contingentia propter causas proximas, licet scientia Dei, quæ est causa prima, sit necessaria*. Ita D. Thom. 1. *part. q.* 14. *art.* 13. *ad* 1. *quæst.* 19. *art.* 8. *q.* 116. *art.* 3. Non quidem ita ut contingentia effectus unice, & ultimo reducatur in causam proximam contingentem, hoc enim reprobat S. Doct. *q.* 19. *art.* 8. alias sequeretur quod *effectus causæ primæ possit impediri per defectum causæ secundæ, sicut virtus Solis per defectum plantæ impediri*. Sed quia cum voluntas Dei sit efficacissima, & ex ea sequantur non solum quæ vult, sed eo modo, quo ea fieri vult; his quæ voluit fieri contingenter aptavit causas contingentes, his quæ voluit fieri necessario, causas necessarias accommodavit. *Non igitur* (concludit S. Doctor) *propterea effectus voliti a Deo eveniunt contingenter, quia causæ proximæ sunt contingentes; sed propterea quia Deus voluit eos contingenter evenire, contingentes causas ad eos præparavit*. Cum ergo sic se habeat effectus contingens ad causam proximam contingentem, ut actus liber ad causam liberam; sicut effectus manet contingens, & contingenter evenit, quamvis causa proxima contingens non possit impedire causam primam, ita actus liber erit, & libere, seu cum potestate ad oppositum exiet a causa libera creata, quamvis non possit impedire ulla potestate voluntatem Dei. Quia cum sit efficacissima, dum voluit actum liberum, aptavit illi causam liberam, & voluit ipsam agere cum indifferentia, & potestate ad oppositum: & quemadmodum cum voluit effectum necessarium, aptavit illi causam habentem formam determinatam ad unum, & ideo illi non aufert, quin sit necessarium; ita cum voluit actum libere fieri, aptavit illi causam agentem cum indifferentia virtutis, & judicii, nec proinde aufert, quin actus in ejus maneat potestate, sed potius hoc facit in ea; agit enim *in unoquoque secundum ejus proprietatem*, ut docet 1. *q. q.* 83. *art.* 1. *ad* 3. Unde D. August. lib. 1. retractan. c. 22. *in potestate* (inquit) *hominis est mutare voluntatem: sed hæc potestas nihil est, nisi a Deo detur*.

XX. Quamvis hac doctrina omnes Adversariorum instantiæ solvi possint, adhuc tamen placet illas apponere. Dicunt ergo primo. Omnis suppositio antecedens infallibiliter connexa cum actu, cujus positio, vel ablatio non est in nostra potestate, infert necessitatem antecedentem oppositam libertati: sed hujusmodi est decretum efficax Dei; hoc enim antecedit actum, cum sit causa ejus, infallibiliter est connexum cum actu, & illud ponere, vel auferre in nostra potestate non est; ergo &c.

XXII. Dicunt secundo. Decretum efficax de amore est impedimentum voluntati non liberam, & ab ipsa indissolubile, quo impeditur, ne eliciat odium, ergo manet necessitata ad amorem. Consequentia probatur; Ideo enim ligatus catenis est necessitatus ad non currendum, quia habet impedimentum ad cursum ipsi non liberum, & ab ipso insolubile.

XXXIII. Quod confirmant. Tunc enim tollitur libertas, quando ab aliquo extrinseco impeditur potentia ad oppositum: sed posita illa efficacia antecedente actum impeditur potentia ad oppositum: ergo &c. Min. probatur. Tunc manet impedita facultas ad actum, quando ponitur aliquid obstans actui, seu ne talis actus ponatur: sed quando Deus efficaciter movet, aut decernit actum consensus, facultas ad dissensum habet aliquid obstans, ne tunc ponat dissensum, nempe efficaciam illam motionis, & decreti antecedentem, quam non potest creata voluntas, nec avertere, nec frustrare; ergo &c.

XXIV. Respondeo ad primam instantiam primo, ex doctrina superius stabilita, disting. maj. Si illa suppositio antecedens sit necessaria, ut actus liber existat, neg. maj. Cum enim causa necessaria ad existentiam effectus, non destruat, sed ponat effectum; ideo suppositio antecedens, & inferens actum, ac necessaria, ut existat actus liber, non aufert ab illo libertatem, sed hanc in eo facit. Suppositio antecedens, quæ non est necessaria ad existentiam actus &c. transeat maj. Et similiter disting. min. Decretum enim efficax Dei est suppositio antecedens necessaria ad existentiam actus liberi creati; & propterea non destruens, sed causans in actu libertatem. Neque enim ad hoc ut actus liber existat requiritur, ut possit a se avertere, vel frustrare id, sine quo actus liber non existeret; sicut ut effectus existat, non requirit ut tollatur id, sine quo non existeret, sed potius ut ponatur. Esto autem voluntas ut libere agat, debeat esse domina sui actus, ut actus procedit ab ipsa; non debet tamen esse domina omnium, quæ requiruntur, ut actus existat, eorum præsertim, quæ requiruntur ex parte Dei. *Voluntas* enim (inquit) Divus Thomas *quæst.* 3. *de potentia articul.* 7. *ad* 13.) *dicitur habere dominium sui actus, non per exclusionem causæ primæ: sed quia causa prima non ita agit in voluntate, ut eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam. Et ideo determinatio actus relinquitur in potestate rationis, & voluntatis*. Quamobrem etsi divina voluntas infallibiliter inferat actum, quia tamen illum infert ut ponendum secundum naturam voluntatis, ut scilicet illum ponat ex judicio rationis, & electione, necesse quidem erit, ut actus ille a Deo volitus existat: non tamen necessitate absoluta, ita ut absolute non possit non esse, sed necessitate solum conditionali, quia hæc conditionalis est vera, & necessaria: *Si Deus vult hoc esse, hoc erit*, ut supra ex Div. Thom. vidimus, & ulterius *quæst.* 23. *de verit. art.* 5. *ad* 3. ubi ait: *Quamvis non esse effectus divinæ voluntatis non possit simul stare cum divina voluntate: tamen potentia deficiendi effectum simul stat cum divina voluntate: Non enim sunt ista incompossibilia: Deus vult istum salvari, & isto potest damnari; sed ista*

ista sunt incompossibilia, Deus vult istum salvari, & iste damnatur.

XXV. Ut autem magis explicetur solutio data. Respondeo secundo, aliter distinguendo maj. suppositio anteced. actum, & etiam principia constitutiva libertatis, infert, &c. conc. maj. Suppositio antec. quidem actum, consequens tamen principia constitutiva libertatis, eamque supponens in actu primo proximo complete constitutam, infert &c. Subdist. necessitatem conditionalem, conc. major. absolutam, neg. maj. Voluntas ergo divina efficaciter discernens voluntatis creatæ actum stat media inter principia libertatis constitutiva in actu primo, & actum liberum, istum quidem antecedens, cum sit applicatio ad ipsum, illa vero supponens; supponit enim in voluntate indifferentiam, tum virtutis, tum judicii, quæ sunt principia constitutiva libertatis in actu primo. Porro cum hæc suapte natura sint otiosa, & ab omni exercitio libero suspensa, voluntas divina, quæ in unoquoque agit secundum ejus proprietatem, ut ostendimus, facit, ut ab otio, & suspensione libere sese explicent, illæsa manente eorum indifferentia potestatis: & sic in actum erumpant, ut retineant potestatem ad oppositum. Quousque enim in intellectu perseverat indifferentia judicii, perseverat in voluntate libertas; sicut e contra quia intellectus Beati non proponit voluntati Deum amandum cum indifferentia, voluntas beati non amat Deum libere, & cum potestate illum non amandi, sed ad illum amandum felici rapitur necessitate.

XXVI. Ad secundam instantiam, dist. antec. est impedimentum, quo impeditur, ne eliciat odium, quia facit eam libere elicere amorem, conc. antec. aliter, nego antec. Voluntas ergo Dei efficax de amore, impedit quidem voluntatem creatam, ne exeat in odium, non impedimento violentiam, vel necessitatem inducente, vel auferente potestatem, vel alligante libertatem ad actum amoris: nam voluntas Dei, ut dicebamus, utpote non antecedens, sed consequens principia intrinseca libertatis, non aufert indifferentiam virtutis, & judicii. Solum ergo dicitur impedire voluntatem, ne ponat actum odii, quia facit illam libere se exercere per actum amoris. Quare sicut voluntas libere se exercens per unum actum, non amittit potestatem ad actum oppositum; ita nec divina voluntas, quæ in illa agit secundum ejus naturam, hanc illi eripit potestatem.

Exemplum autem catenarum non est ad rem. Nam catenæ vere ligant potentiam progressivam, ne procedat ad motum, immo violentiam inferunt voluntati hominis ligati, qui nolens desistit a motu. At efficacia voluntatis Dei non ligat, sed solvit indifferentiam suspensionis, qua durante voluntas est impedita ad exercendum quemcumque actum. Et licet dum movet ad unum, impediat, ne exerceat alterum, hoc facit; quia voluntas se determinat ad actum oppositum, seu quia facit, ut voluntas libere velit oppositum. Non enim facit Deus ut homines nolentes agant, sed ut volentes ex nolentibus, vel non volentibus, fiant.

Ex quo patet alia disparitas. Voluntas enim sub efficaci voluntate amoris solum impeditur, ne ponat odium, quia libere ponit actum amoris: homo vero catenis ligatus non est impeditus a cursu, quia libere, & voluntarie ponat oppositum: catenæ enim non inferunt carentiam cursus per hoc, quod inferant veram voluntatem non currendi, sed per hoc quod violenter externum motum impediant.

Et hinc nascitur etiam tertia disparitas. Cursus enim, cum in se non sit liber, solum potest dici liber, quatenus subest imperio voluntatis. Cum autem in homine ligato non subdatur imperio voluntatis, quia carentia cursus, qua cursus impeditur, est prorsus involuntaria, immo violenta, ideo non manet amplius liber. At actus odii etiam supposita voluntate Dei efficaci de amore, manet in potestate voluntatis, quia non aliter vult determinationem ad amorem, nisi ut ponendam a creata voluntate ut principio indifferente, & proinde libere.

XXVII. Ad confirm. distinguo maj. quando impeditur ab aliquo extrinseco, agente contra naturam voluntatis, conc. maj. agente secundum ejus proprietatem, & inserente liberam positionem unius extremi: nego maj. Talem autem esse efficaciam divinæ voluntatis ostendimus. Ad probationem min. similiter dist. quando illud obstans est libera positio actus oppositi, nego maj. quando illud obstans est aliquid, quod non sit libera positio actus oppositi, conc. maj. Non ergo tollitur facultas ad oppositum, quando illud obstans, quod ponitur est liberum exercitium alterius extremi; quia potentia libera, dum se exercet per unum actum, non amittit indifferentiam potestatis ad alium ponendum absolute, esto non ad illum componendum cum alio extremo. Cum itaque voluntas Dei efficax de amore a creatura ponendo, obstet, ne ponatur odium, quia vult liberam positionem amoris, non obest, quin maneat potentia indifferentiæ ad odium absolute ponendum.

Neque officit, quod voluntas Dei efficax de amore secum ferat voluntatem efficacem Dei denegandi concursum ad odium. Nam sicut voluntas Dei concurrendi ad odium non facit, nec dat potentiam ad ponendum odium, sed illam in creata voluntate supponit: ita voluntas denegandi concursum ad odium, obstat quidem, ne actu ponatur odium, non tamen, ne possit poni.

XXVIII. Objiciunt tertio, & replicant. Libertas essentialiter consistit in indifferentia ad opposita; sed decretum sua efficacia tollit hanc indifferentiam, ponit enim determinationem ad unum; ergo &c.

Si respondeatur, dist. maj. in indifferentia potestatis, conc. maj. in indifferentia suspensionis, nego maj. & distinguatur eodem modo min. Indifferentia enim alia est suspensionis, alia potestatis. Prima est suspensio, seu cessatio ab omni actu. Secunda est potestas, & Dominium ad utrumque oppositum, ita ut, taliter faciat unum, ut retineat potentiam ad oppositum. Efficacia ergo divinæ voluntatis tollit quidem indifferentiam suspensionis, quatenus reducit voluntatem ab otio, & suspensione, eamque determinat ad exercitium: quia tamen eam reducit secundum modum suum, eamque determinat, ut libere agat, non tollit, sed exercere facit indifferentiam potestatis, & dominii, in qua libertas consistit.

XXIX. Contra est. Efficacia divinæ voluntatis tolli etiam indifferentiam potestatis, ergo tollit libertatem. Antec. prob. Voluntas creata, ut stat sub efficaci voluntate Dei, est necessitata ad unum, puta ad amorem, ita, ut non possit non ejicere amorem; ergo &c. ant. prob. Quia divina efficacia est infallibilis, & infrustrabilis, neque est, aut fuit in potestate voluntatis illam advocare, vel advocatam rejicere, aut auferre.

Confirmatur. Voluntas enim non potest aliud eligere, quam id, quod Deus vult, ut eligat; ergo non est in ejus potestate agere, & non agere.

XXX. Respondetur, negando antec. ad probat. dist. antec. ita, ut non possit non ponere amorem, ut a Deo volitum, concedo antec. absolute nego antecedens. Ex hoc tamen non infertur necessitas absoluta, & antecedens, sed solum conditionalis, & consequens. *Quando enim* (ait D. Th. 1. *p. q.* 14. *art.* 13. *ad* 2.) *in antecedente ponitur aliquid pertinens ad actum animæ, consequens est accipiendum, non secundum esse, quod in se est: sed secundum quod est in anima. Aliud enim est esse rei in seipsa, & esse rei in anima. Ut puta si dicam: si anima intelligit aliquid, illud est immateriale; intelligendum est, quod illud est immateriale secundum quod est in intellectu; non secundum quod est in seipso. Et similiter si dicam: si Deus scivit aliquid, illud erit; consequens intelligendum est, prout subest divinæ scientiæ .... & sic necessarium est, sicut & antecedens. Quia omne quod est, quando est, necesse est, ut dicitur* 1. *Perihermen.* Cum ergo esse volitum a Deo significet aliquid pertinens ad actum animæ, non minus, quam esse scitum; sicut cum dicitur; si Deus scivit aliquid, illud erit; consequens est necessarium, non in se, & absolute; sed ut subest divinæ scientiæ: ita dum dicitur: si Deus vult actum liberum a creatura, iste erit, consequens erit necessarium, non in se, & absolute, sed ut subest divinæ voluntati.

XXXI. Aliter quoque exponi potest præfata solutio, ex doctrina ejusdem S. Doctoris loco citato *ad* 3. quod hæc propositio *Omne volitum a Deo esse, necessarium est esse*, regulari debet, & explicari, sicut ista: *omne scitum a Deo esse, necessarium est esse.* Sicut autem ista (ait D. Thom.) consuevit distingui, quod potest esse de re, vel de dicto. Si intelligatur de re, est divisa, & falsa; quia facit sensum, quod omnis res scita a Deo sit necessaria. Si autem intelligatur de dicto, sic est composita, & vera; quia hoc dictum; scitum a Deo esse est necessarium; cum impossibile sit quod aliquid a Deo sciatur esse, & illud non sit. Ita hæc propositio: omne volitum a Deo esse, necessarium est esse, potest distingui. Vel enim est de re, vel de dicto: Si est de re, est divisa, & falsa; quia facit sensum, quod omnis res, quam vult Deus sit necessaria: & hunc sensum facit arguens, dum vult: quod actus amoris ex eo, quod sit a Deo volente illum, sit necessarius, & non liber voluntati: Si vero est de dicto, est composita, & vera; quia facit sensum, quod hoc dictum, volitum a Deo esse sit necessarium: ita ut impossibile sit, quod hoc sit volitum a Deo esse, & non sit.

Ad rem ergo præsentem, distinguo ant. voluntas creata, ut stat sub efficaci voluntate Dei necessitatur, puta ad amorem, seu non potest non elicere amorem, si sumatur de dicto, concedo ant. Facit enim sensum, quod dictum hoc; voluntas sub voluntate efficaci Dei de amore amat, sit necessarium, & impossibile sit, quod sub voluntate efficaci de amore non amet. Si vero sumatur de re, nego antecedens. Quia res, nempe voluntas, quam Deus vult, ut amet, necessario non amat nec amor a Deo volitus in se, & absolute necessarius est, eo modo, quo dum dicitur: album impossibile est esse nigrum; si accipiatur, ut propositio de dicto, est vera, quia hoc dictum album esse nigrum, nunquam potest esse verum. Si vero accipiatur de re, est falsa, quia res, quæ est alba, potest esse nigra.

Neque dicas. Hoc verum esse in formis separabilibus a subjecto, secus vero in formis inseparabilibus, ut si dicas: Corvus niger possibile est esse album, quod in utroque sensu est falsum, & impossibile: sed voluntas efficax Dei de amore est inseparabilis a voluntate creata, quæ eam a se abjicere non potest; ergo in utroque sensu impossibile est, & falsum, quod creata voluntas a Deo volita, ut amet, possit non amare.

Nam respondet D. Thom. loco laudato ad tertium, ubi loquens de scientia Dei, ait: *Hic autem instantia locum haberet, si hoc, quod dico scitum importaret aliquam dispositionem subjecto inhærentem: sed cum importet actum scientis, ipsi rei scitæ (licet semper sciatur) potest aliquid attribui secundum se, quod non attribuitur ei, in quantum stat sub actu sciendi: sicut esse materiale attribuitur lapidi secundum se, quod non attribuitur ei, secundum quod est intelligibile.* Ita dicam: hæc instantia locum haberet, si cum dico, actum amoris esse volitum a Deo, importarem aliquam dispositionem ex natura rei subjecto inhærentem, sicut nigredo inhæret corvo: sed cum importem actum Dei volentis, rei volitæ (licet Deus eam semper velit, nec fieri possit, ne velit) potest aliquid attribui secundum se, quod ei tribui non potest, ut a Deo volitæ. Hæc est doctrina S. Thomæ.

XXXII. Ex hac ortum habuisse puto familiares apud Nostrates distinctiones in hac materia, nimirum potentiæ facientis

entis sensum compositum, & potentiæ facientis sensum divisum: potentiæ simultatis, & simultatis potentiæ: potentiæ consequentis, & potentiæ antecedentis: potentiæ futuritionis, & potentiæ possibilitatis. Potentia faciens sensum compositum est potentia ad conjungendum simul duos actus contrarios, puta non amorem cum amore, seu voluntate efficaci de amore. Quare vocatur etiam potentia simultatis, quia est potentia ad faciendum duo simul coexistere. Dicitur potentia consequens, quia habet pro objecto, & termino rem vestitam omnibus conditionibus, & circumstantiis. Et denique vocatur potentia futuritionis, quia habet pro termino rem ut futuram. Potentia faciens sensum divisum est potentia ad ponendum actum divisive, seu præcisive a positione actus oppositi, quæ potentia cum simul stet & conjungatur etiam cum positione actus oppositi, voeatur simultas potentiæ. Quia respicit suum terminum secundum se, non ut vestitum circumstantiis, vocatur potentia antecedens. Quia demum illum non considerat, ut futurum, sed ut possibile, vocatur potentia possibilitatis.

Juxta has distinctiones ad argumentum, dist. antec. ita, ut non possit non elicere amorem potentia faciente sensum compositum, seu potentia simultatis, seu potentia consequenti, vel potentia futuritionis, conc. antec. Quia potentia sensus compositi, seu simultatis ad negationem amoris, stante efficaci Dei voluntate de amore, esset potentia ad conjungendum simul non amorem cum amore; & potentia consequens, & futuritionis ad non amorem, esset potentia ad non amorem, ut futurum in circumstantia voluntatis Dei de amore, & ipsius amoris; quæ omnis potentia cum sit ad impossibile est chimerica. Potentia faciente sensum divisum, simultate potentiæ, potentia antecedente, seu potentia possibilitatis, nego antec. Efficacia enim divinæ voluntatis de amore non aufert a voluntate creata potentiam ad non amorem absolute sumptum, unde relinquit potentiam anteecedentem, nimirum ad negationem amoris; ut absolute, & præcisive a circumstantia volitionis, & positionis amoris, possibilem.

XXXIII. Ad confirm. eodem modo dico, quod voluntas creata non potest quidem potentia sensus compositi, simultatis, consequenti, & futuritionis aliud eligere, quam id, quod Deus vult, ut eligat: potest tamen potentia sensus divisi, simultate potentiæ, potentia antecedente, & possibilitatis, ut dictum est.

XXXIV. Hinc distinctionem irrident Molinistæ, ceu male applicatam, & dicunt primo. De ratione causæ liberæ est posse conjungere negationem actus cum omnibus requisitis, & antecedentibus actum: sed per nos voluntas non potest conjungere negationem actus cum voluntate efficaci Dei de actu, quæ est unum de requisitis ad actum, & antecedentibus actum; ergo &c.

XXXV. Secundo dicunt. Voluntatem creatam, ut stat sub efficaci Dei decreto de amore, non posse ad odium in sensu composito, posse tamen in sensu divisio, nil aliud est, quam quod stante illo efficaci decreto non possit, posset tamen ablato illo decreto: sed hoc non facit, quod voluntas stante efficaci decreto sit actu libera, sed solum, quod esset libera, si illud decretum non adesset, aut tolleretur; ergo &c.

XXXVI. Tertio. Potentia in sensu divisio est potentia, vel ad dividendum a se decretum, vel ad dividendum actum a decreto, sicut potentia sensus compositi esset potentia ad conjungendum non actum cum decreto: sed voluntas creata, nec habet potentiam ad dividendum, seu tollendum a se decretum, nec ad dividendum actum a decreto: non enim potest facere, quod stante decreto non stet actus; ergo &c.

XXXVII. Scio, non deesse, qui usum præfatarum distinctionum in hac materia derideant, ac subsannent, spernenda tamen est hæc irrisio, & culpanda potius inscitia, quam antiquorum Doctorum S. Thomæ, Scoti, & aliorum, qui eis adhibuerunt, doctrina. Immo, & ipsi his distinctionibus uti debent, ut exponant istam propositionem: *prædestinatus potest damnari.* Si enim eis fiat hæc instantia: si Deus hominem vocat eo modo quo prævidit illum secuturum, fieri non potest, ut illum non sequatur; ergo tali vocatione posita homo non potest non agere id, ad quod vocatur. Quomodo respondebunt, nisi ad aliquam ex præfatis distinctionibus recurrendo?

XXXVIII. Ad id, quod primo dicunt, vel nego absolute maj. Nam Deus, qui est in actionibus ad extra maxime liber, liberrime voluit ab æterno mundum condere, cum tamen nullum fuerit instans tempore, vel natura prius, quo fuerit ad eam volitionem indeterminatus: & Christus a primo instanti suæ conceptionis libere obtulit se ipsum Patri pro nobis, cum tamen voluntas ejus nullo priori instanti fuerit indeterminata. Ad rationem ergo liberi actus sufficit, ut omnibus ad agendum requisitis positis, immo tunc quando agit, sit in potestate voluntatis non agere. Indifferentia enim voluntatis, quæ ad libertatem requiritur, in hoc sita est, quod voluntas nulla naturali necessitate sit adstricta ad alterutram partem contradictionis, sed quando vult unum, eodem tempore possit illud non velle, quæ indifferentia non tollitur per hoc, quod Deus eam ad alterutram partem determinet, nihilo magis quam per hoc, quod ipsa se ipsam determinat; quia Deus non aliter eam determinat, nisi ut agat secundum suam naturam, & libertatem.

XXXIX. Cæterum respondeo secundo, familiari distinctione, cum omnibus requisitis se tenentibus ex parte actus primi, potestatis, seu virtutis, conc. maj. Causa enim libera debet habere virtutem, quæ non sit ad unum determinata, sed ita indifferentem, ut cum ea possit conjungi utrumque extremum velle scilicet, & nolle. Cum omnibus requisitis se tenentibus ex parte actus secundi, quæ sint, vel ipsemet actus, vel determinatio ad actum, subdistinguo, cum omnibus requisitis ad suum ordinem creatum pertinentibus, ita ut cum cujuscumque alterius creatæ determinatione possit conjungere oppositum, conc. maj. cum omnibus requisitis ad actum pertinentibus ad ordinem primæ causæ, nego maj. Alias non esset secunda domina sui actus; immo nedum haberet dominium usus supra actum suum, sed etiam supra voluntatem, & concursum causæ primæ: Et ulterius, quod est melius, haberet a se, & non ex gratia, cum qua adhuc posset conjungere bonum, & malum. Quod maximum inconveniens reputat S. Augustinus *lib.* 2. *de peccat. merit. & remiss. cap.* 18. his verbis: *Si nobis libera quadam voluntas ex Deo est, qua adhuc potest esse vel bona, vel mala, bona vero voluntas ex nobis est, melius est id, quod a nobis, quam quod ex Deo est: quod si absurdissime dicitur, oportet fateantur, etiam bonam voluntatem nos divinitus adipisci.*

XL. Ad id, quod secundo dicunt, nego maj. Is enim est sensus, quo præfata distinctio sensus compositi, & divisi usurpatur a Calvino. Quare, dico, cum efficaci voluntate Dei de uno actu adhuc componi, & conjungi potentiam ad oppositum, non quidem ut conjungendum cum voluntate efficaci de actu, sed ut ponendum divisive, seu absolute, & præcisive a voluntate illa. Sensus ergo divisus non cadit supra potentiam, sed supra actum: Ita Div. Thom. *q.* 23. *de verit. art.* 5. *ad* 3. ubi ad similem objectionem ita respondet. *Quamvis non esse effectus divinæ voluntatis non possit simul stare cum divina voluntate: tamen potentia deficiendi effectum simul stat cum divina voluntate. Non enim sunt ista incompossibilia: Deus vult, istum salvari, & iste potest damnari: sed ista sunt incompossibilia; Deus vult, istum salvari, & iste damnatur.*

XLI. Ad id, quod tertio dicunt, nego maj. Potentia enim, quam dicimus, in voluntate creata (adhuc posita voluntate Dei de uno actu) adesse ad ponendum oppositum in sensu divisio, nec est potentia ad dividendum a se decretum; in hoc enim liberum creatum nullam habere potest potestatem. Neque est potentia ad dividendum a decreto actum: cum enim decretum sit efficax, fieri nulla potentia potest, ut actus dividatur a decreto, seu quod non sit actus stante decreto. Sed est potentia ad ponendum actum oppositum absolute, & secundum se, quo pacto præscindit a decreto de actu opposito. Quia ait Div. Th. 1. 2. q. 10. art. 4. ad 3. *Si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est poni, quod voluntas ad illud non movatur, non tamen est impossibile simpliciter.*

XLII. Quare hic tria censeo præ oculis habendi. Primum, quod potentia voluntatis creatæ est potentia sui ordinis, creati scilicet tantum, & non omnis ordinis, etiam divini: unde ut hæc salvetur, requiritur, ut possit in actum, pro ut actus a se ipsa dependet, non vero, pro ut actus dependet a Deo, alias posset supra Deum.

Secundum est, quod hæc propositio de possibili: *voluntas, quæ determinatur a Deo, potest non agere*, non est ponenda in esse per istam: *voluntas determinatur a Deo, & non agit*; quæ est impossibilis; sed per istam: *hæc voluntas* (etiam designata ea, quæ determinatur) *non agit*, quæ absolute loquendo est possibilis. Sicut hæc *album potest esse nigrum*, non ponitur in esse per hanc: *album est nigrum*, sed per istam: *hæc res* (designata etiam ea quæ est alba) *est nigra*, quæ absolute est possibilis.

Tertium est, quod objectum potentiæ antecedentis, sive in sensu divisio est actus, non ut respicit potentiam, & decretum Dei de actu opposito, sed ut præcise respicit potentiam capacem sui. Quare actus puta odii potest considerari, ut respicit voluntatem creatam cum decreto Dei de amore, & sic est objectum potentiæ sensus compositi, & impossibile: vel potest considerari, non ut tangit voluntatem creatam, & decretum de amore (licet ibi adsit decretum) sed ut respicit præcise voluntatem creatam præcisive a decreto de amore, & sic est objectum potentiæ sensus divisi, & possibile; quia voluntas quæ determinatur ad amorem, etiam stante tali determinatione, retinet potentiam ad absolute odio habendum.

XLIII. Sed petes primo. Si necessaria est voluntas Dei prædeterminans actum, quare peccator, qui fraterne corripitur non potest se excusare dicens, sibi defuisse voluntatem Dei prædeterminativam, quæ ipsi necessaria est, nec tamen in ejus est potestate illam habere?

XLIV. Inanis est hæc petitio. Similiter enim potes petere, si necessaria est gratia, quare peccator non excusabit se dicens, recte corriperer, si eam possem mihi dare, vel sumere, vel si dante Deo accipere noluissem; Nunc vero cum voluntas præparetur a Domino, cum nisi eo dante non accipiatur, quid me corripis, si præcepta non impleo, cum necessaria ut impleam non acceperim? Quemadmodum ergo similibus Pelagianorum querelis respondet D. Augustin. *lib. de corrept. & grat.* per plura capita, correptionem tunc salubrem esse, & merito corripiendum peccatorem, ut strepitu correptionis forinsecus insonante, Deus in illo occulta inspiratione operetur & velle: ita & nos &c. addo quod nulli peccatori deest auxilium, quo possit bene agere si velit; quod si ei deest auxilium, quo bonum velit, & agat, hoc ex ejus culpa est. Sed de hoc infra.

XLV. Petes secundo. Quare non sequitur, posita voluntate Dei prædeterminante, nullum esse peccatum omissionis? Omissio enim actus non est peccatum, quando omittitur defectu ejus, quod est necessario requisitum, & hoc non est in potestate omittentis; ut dum omittuntur horæ defectu Breviarii, quod haberi non potest: sed quandocumque homo omittit, deest illi aliquid necessarium, nempe voluntas Dei prædefiniens actum; ergo omissio nunquam est peccatum.

XLVI. Sed hæc petitio fundatur in regula, quod *nulli imputetur, quod ab alio dependet*, quam esse falsam egregie D. Thom. ostendit 3. *Contra Gent. c.* 159. docens, ex ea sequi, quod ille, qui fidem non habet, nec spem, nec dilectionem Dei, quam dare in Dei est potestate, dum non credit, non peccat, quod sequitur etiam in opinione adversaria: nam gratia congrua est unum ex requisitis ad agere, & hæc non in nostra potestate est, sed solius Dei. Ergone cui deest gratia congrua, & ideo omittit, non peccat? Nequaquam; quia (ajunt) etsi ei non detur gratia congrua, qua de facto agat, datur tamen gratia indifferens, qua potest agere si velit. Idem dicimus nos. Cui enim deest voluntas efficax dans agere, adest semper voluntas generalis dans posse agere: quare cum possit, si non agit, ei in culpa est. Eo vel maxime, quod si ei non adest voluntas efficax, in culpa ejus fuit; quia, sicut hæc ex pura misericordia adest, ita justo judicio deest, quibus non adest. Sed pro majori hujus difficultatis explicatione sit.

§. III.

Solvuntur duo postrema argumenta.

XLVII. Objiciunt quarto, & nuper dicta impugnant. Posito, quod efficacia divini decreti antecedens sit requisitum necessarium ad bene operandum actu, ille cui denegatur caret aliquo requisito, sine quo non potest actu operari; ergo non habebit id, quod sufficit ad bene operandum; ergo si Deus faciat illi aliquod præceptum, eique neget hanc efficaciam, obligabitur ad aliquid sibi impossibile, cum actus sine illa efficacia antecedente sit impossibilis in sensu composito, & de facto. Cum ergo etiam non stante tali efficacia urgeat præceptum faciendi, de facto præcipitur illi aliquid sibi de facto impossibile, eo modo, quo, si habenti potentiam visivam, & in tenebris constituto, vel non habenti concursum generalem, præciperetur, ut videret, & præciperetur ei aliquid impossibile, & excusaretur a peccato; sicut & ille, cui præciperetur recitatio Officii, & Breviarium non haberet, nec sibi posset acquirere.

XLVIII. Respondetur primo, hoc argumentum solvendum esse ab omnibus. Nam ad actu credendum requiritur fides, quæ est donum, non ex nobis, aut in nostra potestate situm, sed a Deo veniens: Non enim sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex Deo est, ait D. Paulus 2. *Cor.* 3. *v.* 5. Insuper in sententia Mediistarum ad actu bene operandum requiritur gratia congrua, seu quod homo ponatur illis in circumstantiis, in quibus prævidit Deus, eum bene usurum gratia: ita, ut sine tali gratia ei impossibile sit saltem in sensu composito bene operari. Ei ergo, cui non adest talis gratia, deest aliquid necessario requisitum, ut actu bene operetur: quod si ei præcipiatur ut bene operetur; præcipietur illi aliquid impossibile.

XLIX. Fateor ergo; divinum decretum de actu, esse quid necessario requisitum ad ponendum actum; non tamen quasi conferens potentiam, ita ut, eo non stante, creata voluntas non possit agere, sed solum dans exercitium. Esto autem illud habere non sit in potestate voluntatis creatæ, adhuc tamen, si ei aliquid præciplatur, non præcipitur ei impossibile. Tum quia agere in ejus est potestate, quia habet omnia requisita ex parte actus primi ad agere. Dum quia, esto decretum Dei in sua potestate non habeat, habet tamen in sua potestate petere. Deus enim impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere, quod non possis, & adjuvat, ut possis, ut Tridentinum ex S. August. docet *sess. 6. c.* 11. & S. Augustinus ipse *l. de correp. & gratia c.* 2. homines (inquit) *a Deo aguntur, ut agant, non ut ipsi nihil agant; & ad hoc eis ostenditur, quid agere debeant, ut quando id agunt, sicut agendum est &c. accepisse se gaudeant: quando autem non agunt, orent, ut quod nondum habent, accipiant.*

L. Respondeo secundo, hoc quod adversus efficaciam voluntatis divinæ objicitur nobis, fuisse olim oppositum a Pelagianis S. Augustino, qui *epist.* 105. nunc 194. ad Sixtum *c.* 6. *excusabunt se, inquit, homines, qui nolunt recte, fideliterque vivere, dicentes: quid nos facimus mali, qui male vivimus, quandoquidem gratiam, ut bene vivamus, non accepimus?* Numquid hoc idem est, quod nobis objiciunt? Audiant ergo Augustini responsum: *non possunt veraciter dicere, nihil mali se fecisse, qui male vivunt; si enim nihil mali faciunt, bene vivunt: Si autem male vivunt: de suo male vivunt.* At si diceret: non se excusent, quod non acceperint gratiam, unde bene viverent; quia male vivendo, de suo gratiæ obstaculum posuerunt. Quamvis enim *de suo* non possit homo divinam gratiam advocare, & Dei benevolam efficere voluntatem; *de suo* tamen potest ei obstaculum ponere, quo Deus, qui non tenetur illud tollere, ab homine faciem suam avertat.

LI. Hæc est doctrina D. Thomæ 3. *contra Gentes c.* 59. ubi cum simile argumentum sibi proposuisset: nempe: *Cum in finem ultimum aliquis dirigi non possit, nisi auxilio divinæ gratiæ &c. potest aliqui videri, quod non sit homini imputandum, si prædictis careat; præcipue cum auxilium divinæ gratiæ mereri non possit, nec ad Deum converti, nisi Deus illum convertat: nulli enim imputatur, quod ab alio dependet.* Ecce argumentum. Cui sic respondet. *Ad hujus dubitationis solutionem considerandum est, quod licet aliquis per motum liberi arbitrii divinam gratiam, nec promereri, nec acquirere possit, potest tamen se ipsum impedire, ne illam recipiat. Dicitur enim de quibusdam Job* 21. dixerunt Deo. Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. *Et Job.* 24. Ipsi fuerunt rebelles lumini: *& cum hoc sit in potestate liberi arbitrii impedire divinæ gratiæ receptionem, vel non impedire, non immerito in culpam imputatur ei, qui impedimentum præstat gratiæ receptioni. Deus enim quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare:* vult *enim* omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, *ut dicitur ad Tim.* 2. *Sed illi soli gratia privantur, qui in se ipsis gratiæ impedimentum præstant. Sicut Sole mundum illuminante, in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, si ex hoc aliquod malum sequatur, licet videre non possit, nisi lumine Solis prævenitur.* Hæc D. Thomas. Super quæ Ferrariensis, ibi: *Si quis* (inquit) *propria voluntate in malum aliquod cadat, a quo per se liberari non potest, si non liberetur, non est absque ejus imputatione: debebat enim cavere, ne in illud malum incideret, a quo sciebat, se propria virtute liberari non posse: sicut non est absque imputatione, quod aliquis non exeat a puteo, ex quo non potest exire, nisi ab alio adjuvetur, quando propria voluntate in illum se dejecit.*

LII. Quia vero potest aliquis objicere, se in tantum impedimentum præstare gratiæ receptioni, & in peccatum cadere, quia deest illi gratia, & voluntas efficax Dei; quæ si illi adesset, sicut adest aliis, gratiæ impedimentum non posuisset.

Respondet S. Thom. laudato *lib.* 3. *contra Gent. c.* 162. Deum attento cursu naturali rerum non teneri tollere obstinationem, & duritiem cordis, aut vincere impedimentum, quod de suo homo præstat gratiæ receptioni. Licet autem hoc possit, immo, & in aliquibus agat, ut in Saulo, & aliis, id fuit præter, immo supra cursum naturalem: sicut cum cæcum illuminat, quod facere quidem potest, sed non tenetur: *Ille* (inquit D. Th.) *qui peccat, impedimentum gratiæ præstat, & in quantum rerum ordo exigit, gratiam non deberet recipere. Tamen quia Deus præter ordinem rebus inditum operari potest, sicut cum cæcum illuminat, vel mortuum suscitat; interdum ex abundantia bonitatis sua etiam eos, qui impedimentum gratiæ præstant, auxilio suo prævenit, avertens eos a malo, & convertens ad bonum: & sicut non omnes cæcos illuminat, nec omnes languidos sanat, ut & in illis, quos curat, opus virtutis ejus appareat, & in aliis ordo naturæ servetur: ita non omnes, qui gratiam impediunt, auxilio suo prævenit, ut avertantur a malo, & convertantur ad bonum, sed aliquos, in quibus vult suam misericordiam apparere, ita ut in aliis justitiæ ordo manifestetur. Hinc est, quod Apostolus dicit Rom.* 9. Volens Deus ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia, vasa iræ, apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. Hæc D. Th.

Qui deinde prosequitur: *cum autem Deus hominum, qui in eisdem peccatis detinentur, hos quidem præveniens convertat, illos autem sustineat, sive permittat, secundum ordinem rerum procedere, non est ratio inquirenda, quare hos convertat, & non illos. Hoc enim ex simplici ejus voluntate dependet, sicut ex simplici ejus voluntate processit, quod cum omnia fierent ex nihilo, quædam facta sunt aliis digniora: & sicut ex simplici voluntate procedit artificis, ut ex eadem materia similiter disposita, quædam vasa formet ad nobiles usus, & quædam ad ignobiles. Hinc est, quod Apostolus dicit ad Rom.* 9. An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud vero in contumeliam? Ita D. Th. quibus nil apertius.

LIII. Ex dictis sequitur tertia responsio argumento proposito, nimirum quod denegatio gratiæ efficacis sit quodammodo voluntaria homini: dum enim pro sua libertate eligit malum, voluntarie se privat auxilio efficaci ad bonum; culpa enim, qua homo deserit Deum, voluntarie ab ipso se avertendo, procedit, & in genere causæ materialis causa est, ut homo deseratur a Deo. Et hoc verificatur non solum de denegatione auxilii in pœnam præcedentis peccati, sed etiam de denegatione primi auxilii. Esto enim denegationem primi auxilii culpa tempore non præcedat, eam tamen comitatur, & in aliquo genere causæ saltem materialis præcedit. Sicut enim occlusio fenestræ contra Solem in genere causæ materialis præcedit privationem lucis solaris in cubiculo: & sicut corruptio unius formæ in genere causæ materialis disponit ad generationem alterius, & in hoc genere præcedit; ita aversio a Deo, & conversio ad creaturam, quasi in genere causæ materialis disponit ad primam denegationem auxilii. Verificatur enim, quod in illo instanti, in quo Deus denegat primum auxilium efficax, voluntas creata ponit impedimentum tali auxilio; quia voluntarie exercetur circa alium actum, qui incompossibilis est cum actu, ad quem datur auxilium: & ideo illi semper deest auxilium propter propriam voluntatem ad oppositum, etiam in prima auxilii denegatione, ut contigit in Adamo; & proinde quod Deus nos non deserit, nisi a nobis deseratur.

LIV. Patet etiam, quam falso aliqui putent ideo hominem primo peccare, quia illi denegatur auxilium efficax. Nego enim absolute hoc esse verum. Immo homo ideo peccat, etiam primo, quia cum posset in gratia accepta perseverare, sua culpa non vult. Quare S. August. lib. de correptione, & gratia c. 6. *Nec attendunt* (inquit) *si nondum regenerati sunt primam esse causam, cur objurgati, quod sint inobedientes Deo, sibi debeant displicere; quia fecit Deus hominem rectum ab initio humanæ creaturæ... At per prima pravitas, quæ Deo non obeditur, ab homine est, quia exrectitudine, in qua eum Deus primitus fecit, sua mala voluntate decidens, pravus effectus est .... quod si aliquis sit regeneratus, & justificatus, & in malam vitam sua voluntate relabitur, jam iste non potest dicere: non accepi, quia acceptam gratiam Dei in suum malum libero amisit arbitrio.* Et cap. 11. urgens argumentum, cur primo homini data non est gratia ad perseverandum, sed permissus est cadere, quæ certe fuit prima permissio, & denegatio auxilii gratiæ; ait: *posse primus homo permanere si vellet, quia non deerat adjutorium per quod posset, & sine quo non posset perseveranter bonum tenere, quod*

re, quod vellet (idest auxilium sufficiens) *sed quia noluit permanere, profecto ejus culpa est, cujus meritum, fuisset, si permanere voluisset.* Et ita concludit, non fuisse in illo adjutorium efficax, quo datur non solum posse, quod volumus, verum etiam velle quod possumus; & hoc ex culpa sua saltem concomitante, quia noluit quod poterat. Porro licet gratiam advocare in nostra potestate non sit, in nostra tamen est potestate illam respuere, seu nolle eam recipere; ita ut verificetur, gratiam, qua agamus, nobis deesse, quia nolumus quod possumus.

LV. Sed contra dicta varie instant. Quidquid enim sit, an sine gratia efficaci homo possit non peccare, & perseverare, nunquam tamen sine ea perseverabit; ergo illud posse in eo inutile est ad bene agendum, immo perniciosum; ergo &c. Probatur prima pars consequentiæ. Inutile est ad bene agendum, quo nullus unquam bene usus est; nullus enim unquam fuit, aut est, aut erit, qui cum tali auxilio bene agat.

LVI. Confirmant primo. Frustra est potentia, quæ nunquam reducitur ad actum: sed illud posse, quod habetur per auxilium sufficiens, nunquam reducitur ad actum; ergo &c.

LVII. Confirmant secundo. Auxilium sufficiens vel datur solum ad posse, vel etiam ad agere. Non datur solum ad posse; quia datur ad præcepta implenda, quibus præcipitur, non ut possimus, quod supponitur, sed ut bene agamus. Nec etiam datur ad agere; quia agere est proprius effectus auxilii efficacis, non sufficientis: quod vero est proprius actus unius, non potest esse actus proprius alterius.

Secunda vero pars consequ. probatur. Perniciosum enim est id, quo homo, qui sine illo inculpabilis esset, si non ageret, culpabilis, si non agat, evadit.

LVIII. Respondeo, neg. consequ. pro utraque parte. Quæ retorquetur contra omnes scientiæ mediæ defensores. Gratia enim incongrua talis est, ut ea nullus unquam bene egerit, nullus unquam bene fit acturus, aut bene agat. Insuper cum ea imputatur homini, si bene non agit, cui absque ea non imputaretur; Ergo est inutilis, immo perniciosa.

Rursus: potentia ad bene agendum, quæ confertur per gratiam incongruam, sive in funestis circumstantiis collatam, nunquam reducitur ad actum, ergo est frustra. Præterea: gratia incongrua, aut in funestis circumstantiis collata, vel datur solum ad posse, vel etiam ad agere. Non primum; quia datur ad præceptum implendum, & non præcipitur, ut possimus, hoc enim supponitur, sed ut bene agamus. Non secundum; quia dari ad agere est proprium gratiæ congruæ: quod autem est proprius actus unius, nequit alteri convenire.

Neque dicas, præfatas instantias non esse ad rem. Etenim quod gratia sit incongrua, & ex illa non sequatur bene agere, non habet ex natura sua, sed ex circumstantiis, & ex voluntate hominis, qui ea non vult bene uti. At auxilium sufficiens Thomisticum ex sua natura habet, quod cum illo infallibiliter non agatur.

LIX. Nam contra est. Quia esto de ratione auxilii sufficientis Thomistici non sit per se ipsum bene agere immediate, est tamen bene agere mediate; mediante scilicet auxilio efficaci, cum quo petit conjungi, nisi ex voluntate humana obicem inveniat. Ita D. Thom. super c. 17. Joann. lect. 2. & in 1. ad Timoth. c. 2. lect. 1. ubi explicans illud 1. Joan. 2. v. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris*, subdit: *pro aliquibus efficaciter, sed pro omnibus sufficienter, quia pretium Sanguinis ejus est sufficiens ad salutem omnium, sed non habet efficaciam, nisi in Electis propter impedimentum.* Et D. Aug. lib. 2. de peccat. merit. & remiss. c. 17. *Cum* (inquit) *voluntatem humanam gratia adjuvante divina, sine peccato in hac vita posse homo esse; cur non sit, possem facillime ac veracissime respondere, quia homines nolunt. Sed si ex me quaritur: quare nolint, imo in longum.* Postquam vero dixit, hoc provenire, vel ex hoc, quod latet id, quod justum est, vel quia non delectat, subdit; *Ut autem innotescat, quod latebat, & suave fiat, quod non delectabat, gratia Dei est, qua hominum adjuvat voluntates; qua, ut non adjuventur in ipsis iisdem causa est, non in Deo.*

LX. Ex his deduco, gratiam sufficientem non esse prorsus otiosam, sed aliquos actus producere, excitando in intellectu cognitionem, & in voluntate motus aliquos; qui actus, esto suapte natura inefficaces ad conversionem, sufficientes tamen sunt, & fierent efficaces, nisi a conjunctione cum gratia efficaci, cui petunt conjungi, voluntate humana impedirentur. Sicut enim cibus (utor exemplo S. Augustini) aliquos effectus in corpore humano producit, quibus vita potest conservari, & de facto conservatur, nisi aliæ causæ, cum quibus petit conjungi ad conservationem vitæ, impediantur: sic auxilium sufficiens aliquos actus excitat, sive in intellectu, sive in voluntate; quibus potest bene agere, & de facto homo bene ageret, nisi mala sua voluntate conjunctionem cum gratia efficaci ad bene agendum, impediret. Et hæc est enim D. Th. doctrina *p.* 24. *de veritat. art.* 11. ubi docet, non esse hominem in hac vita adeo firmatum in malo, in quo non surgant aliqui motus, etsi debiles, queis ad gratiam, si vellet, se præparare non posset. Quod superius ostendimus præsenti tractatu *q.* 2. *dub.* 50. §. 4. *num.* 30. quo Studiosum remitto.

LXI. His præmissis ad instantiam respondeo, neg. cons. pro utraque parte. Ad probat. pro prima parte distinguo, quo nullus bene utitur, ex defectu ipsius principii, quod non inclinet ad bene agendum, conc. maj. ex defectu, & culpa hominis, qui male utitur, nego maj. Et similiter dist. min. Quod enim auxilio sufficienti homo non bene agat, ex culpa hominis est, non auxilii; quod, esto se solo non faciat bene agere, inclinat tamen ad bene agere medio auxilio efficaci, cum quo petit conjungi, nisi impediatur, ut dictum est.

LXII. Ad primam confirmationem distinguo maj. quæ non reducitur ad actum, nec immediate ratione sui; nec mediate ratione alterius, conc. maj. aliter, nego maj. Auxilium autem sufficiens petit reduci ad actum medio auxilio efficaci, cui quantum ex se est exigit conjungi. Nego etiam min. Quia esto auxilium sufficiens ex se non reducatur ad actum ultimum, & consummatum; habet tamen proprios actus licet inefficaces, quos excitat, ut vidimus, & qui ad actus consummatos perducunt, nisi impediantur.

Ad secundam confirmationem dico, gratiam sufficientem dari ad agere inefficaciter, & sufficienter, esto non efficaciter, nisi cum ulteriori gratia efficaci, cum qua petit conjungi, de facto conjungatur.

LXIII. Ad probat. secundæ partis dico, hoc insano ratiocinio quemdam Jansenistam, Deum sic fuisse allocutum. Domine gratias tibi ago de tuo auxilio sufficienti. Noli quæso illud mihi tribuere, quia cum ipso culpabilis essem, sine ipso inculpabilis sum. Cui tamen potest sic responderi. Quamvis Deus auferat a te auxilium sufficiens, adhuc culpabilis eris, si, licet impotens, præcepta non observes. Nam juxta Magistri tui doctrinam præcepta, licet impossibilia, obligant tamen, & culpabilem te faciunt, si ea non observes.

Respondeo igitur, auxilium sufficiens nedum non esse homini perniciosum, sed valde proficuum; quia cum ipso potest sanctificari, si velit, quod sine ipso non posset. Ipse quidem homo sibi ipsi perniciosus fit, dum ex sua culpa, vel antecedente, vel concomitante tali auxilio non utitur, & gratiæ ulteriori obicem ponit. Quod autem posito hoc auxilio homo culpabilis fit, si præceptum non implet, non est defectu auxilii, quod quantum est ex se ad præcepti implętionem inclinat, sed hominis, ut dictum est.

LXIV. Adhuc tamen contra auxilium sufficiens aliquid habent Adversarii. Auxilium (inquiunt) præter quod ad agendum aliud requiritur, non est vere sufficiens ad præceptum implendum: sed præter auxilium sufficiens requiritur ad agendum aliud, nempe auxilium efficax; ergo &c.

LXV. Si respondeas, dist. maj. si aliud quod requiritur, requiratur, ut det posse implere præceptum, non est &c. conc. maj. Si requiratur, ut solum dans actualem præcepti implętionem, nego maj. & similiter distinguo min. Auxilium sufficiens dicitur, quia dat sufficientiam, & posse, ita ut sine illo præceptum impleri non posset; non tamen dicitur sufficiens, ita ut ipso fiat adimpletio præcepti, vel fit, quo præceptum impletur, alias non esset mere sufficiens sed efficax. Esto autem se ipso non det actu agere, dabit tamen, ut conjunctum cum auxilio efficaci, nisi impediatur.

LXVI. Dices tamen. Homini cum solo auxilio sufficienti deest actu agere; ergo ei aliquid deest; ergo non habet totum id, quod vere sufficit ad agendum, & requiritur, ut agat. Consequentia probatur primo. Quia ad recitandum Officium præter potentiam requiritur Breviarium; qui Breviario caret, non habet totum, quod requiritur ad Officium recitandum, & excusatur, si non recitet.

Secundo. Quia ad consecrandum præter characterem requiritur panis; qui caret pane, non habet totum id, quod ad consecrandum requiritur, nec tenetur.

Tertio. Quia ad videndum præter potentiam visivam requiritur lumen; qui caret lumine, non habet totum id, quod requiritur ad videndum, & excusatur si non videt; ergo &c. Nam ipsi præter gratiam indifferenter oblatam, ad actu bene agendum requirunt gratiam congruam; ita ut si homo non ponatur in circumstantiis, in quibus prævisus est bene actuturus, esto possit bene agere, attamen bene non aget: hoc autem in solius Dei est potestate: ergo homo non positus in talibus circumstantiis non habebit totum, quod requiritur ad bene agendum, eritque sicut, qui ad recitandum Officium caret Breviario, qui ad consecrandum caret pane, qui ad videndum caret lumine.

LXVIII. Respondeo ergo primo, disting. secundum cons. non habet, potest tamen habere, nisi obicem ponat, conc. consequentiam. Non habet, nec potest habere, nego cons. Sicut ergo, qui posset habere Breviarium, & sua culpa careret, non excusaretur ab omissione Officii; qui posset habere panem, & negligeret, non excusaretur ab omissione Sacri; qui clauderet oculos lumini, non excusaretur, si non videret: ita cum homo auxilio sufficienti instructus possit petendo a Deo habere auxilium efficax, si hoc caret, sua culpa, vel antecedente, vel concomitante caret; & ideo non excusatur.

LXIX. Respondeo secundo, dist. primum conseq. ei aliquid deest, quod sit pura applicatio ad actum, conc. conseq. Quod sit complementum potentiæ, nego conseq. Exempla autem allata non sunt ad rem: non enim sunt puræ applicationes potentiæ liberæ ad agendum; sed sunt prærequisita, ut potentia in actu primo proxime sit expedita. Sine Breviario enim in eo, qui mente non tenet, non est potentia expedita ad recitandum Officium. Sine pane non est potentia proxime expedita ad consecrandum, cum panis sit materia. Et tandem sine lumine non est potentia proxime expedita ad videndum; quia sine lumine non potest objectum, quod est unum ex principiis in actu primo, intra potentiam visivam sisti. At voluntas cum auxilio sufficiente sest potentia in actu primo proxime expedita, & nihil ei deest nisi actualis volitio, idest, ut de non volente in exercitio fiat volens, hoc autem in ea gratia efficax facit: Deus enim est, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.

LXX. Tandem objiciunt. Si Deus efficaciter vellet, ac prædeterminaret omnes actus liberos creatos, vellet etiam, & efficaciter prædeterminaret actus moraliter malos: sed hoc est falsum, alioquin

alioquin Deus esset causa voluntati creatæ, ut peccaret, sicut illi causa est, ut bene agat; ergo &c.

LXXI. Communis, & vera responsio distinguit majorem, actus moraliter malos, quatenus actus sunt, conc. maj. quatenus mali, seu contra legem sunt, nego min. Sicut enim in Contrariorum sententia Deus simul concurrit cum voluntate creata ad actiones malas, quin concurrat, & sit concausa peccati; quia concurrit ad illas, quatenus actionces sunt, & de linea entitatis, non quatenus malæ, & defectuosæ a regula legis, & morum; sic enim unice sunt a voluntate creata, ut ex nihilo est, ac moraliter defectibilis: ita Deus sua efficaci voluntate decernit, & movet ad actiones etsi malas, quin sit causa voluntati, ut peccet, sed solum, ut pro sua libertate agat; movens illam ad agendum, non ad agendum defectuose, & ad peccandum, Eo fere modo, quo anima excitat ad motum, & movet, nedum tibiam rectam, sed curvam, quin sit ei causa, ut curve moveatur, sed ut vitaliter; ita ut vitalitas, quæ est in illo motu tributur quidem animæ, sed curvitas, seu deviatio a rectitudine, quæ est in illo motu, unice tibiæ defectuosæ tribuatur. Exemplum hoc est D. Th. in 2. dist. 37. q. 2. art. 2. ubi rem hanc ex professo tractat.

Et eo fere modo, quo si perfectus citharœdus pulsat citharam discordem, quidquid erit sonus, a manu movente procedet, dissonantia vero a cithara male aptata. Et idem dico de perito Scriptore, qui uteretur calamo male aptato, cui quidquid scriptionis esset, responderet; at scriptionis defectus calamo tribueretur, non Scriptori: is enim moveret quidem calamum ad scribendum, sed non ad defectuose scribendum.

LXXII. Porro: quidquid actionis est in peccato debere esse a Deo positive volente & influente, ex eo probatur. Quia quidquid actionis est in peccato aliqua entitas est: omnis autem entitas a Deo volente, & influente esse debet: quia cum sit primum ens, prima causa, omne aliud ens tale est per participationem, & influxum ab ipso. Unde D. August. *lib. 2. de Moribus Manichæorum cap.* 2. asserit, omnium naturarum, atque substantiarum esse auctorem Deum, & omnium, quæ sunt, causam esse ut sint. Et c. 7. quidquid est, in quantum est, a Deo esse affirmat, ostenditque, malum non esse naturam aliquam; ideoque Deum non habere auctorem, qui omnis, & solius naturæ auctor est: *in quantum autem ab essentia deficit, non sit ex Deo; sed tamen divina providentia semper, sicut universitati congruit, ordinetur.*

Id expresse confirmat S. Anselm. *lib. de concord. præscient. & prædest. c.* 7. dicens: *omnis qualitas, & omnis actio, & quidquid habet essentiam a Deo est, a quo est omnis justitia, & omnis injustitia. Facit igitur Deus omnia, quæ justa, vel injusta voluntate fiunt, idest bona opera, & mala. In bonis quidem facit, quod sunt, & quod bona sunt: in malis vero facit quod sunt, sed non quod mala sunt. Nam omni rei est justum, vel bonum aliquid esse; nulli vero rei est aliquid esse injustum, vel malum.*

Item Albertus Magnum, *lib. 3. dist.* 35. refert, quosdam Antiquos esse opinatos, quod voluntas per se sufficeret ad actus malos, sed non ad bonos, vel indifferentes. Et deinde concludit, quod Moderni, quia viderunt, quod perfectius est agere, quam esse, viderunt etiam, quod id, quod non est a se, nec potest a se manere in esse, multo minus potest agere a se ipso: & cum actus malus sit materialiter actus egrediens de potentia activa: *ideo concluserunt, quod non egreditur ab ea, nisi secundum quod movetur a causa prima, alioquin sequeretur, duo principia esse. Et hæc est causa, quare & alia opinio fere cessit ab aula, & a multis Modernorum reputatur hæresis.* Ex quibus infertur, Deum non solum permissive operari substantiam actus peccati, sed vera ac proprie dicta causalitate physica.

Neque hoc est contraire Conc. Tridentino, quod *sess.* 6. *can.* 6. damnat asserentes Deum causare actiones malas, sicut & bonas, & statuit mala opera quatenus mala non esse a Deo, nisi permissive.

Non inquam. Nam Concilium ibi anathema dicit Calvino, qui totius quod est in actione mala facit auctorem Deum, non distinguens inter substantiam actionis, & malitiam. Immo *lib. instit. cap.* 18. §. 1. deridet Theologos, dicentes: Deum solum permissive ad malitiam concurrere. Ideoque statuit Concilium, opera quatenus mala non esse a Deo, nisi permissive. De hoc agit Div. Thom. 1. *q. quæst.* 49. *art.* 2. *ad* 1. dicens: *Effectus causæ secundæ deficientis reducitur in causam primam non deficientem, quantum ad id, quod habet entitatis, & perfectionis, non autem quantum ad id, quod habet de defectu.* Idem docet 1. 2. *quæst.* 79. *art.* 2. ubi quærit an actus peccati sit a Deo, Item *lib.* 3. *contra Gentes c.* 71. & 162. videndus.

LXXIII. Sed contra dicta oppones primo. Qui est causa alicujus actus, non causat illum, nisi secundum quod est in re, non vero secundum unam rationem, & non secundum aliam, sed causat totum, quod in eo est. Unde etsi in actu visionis Dei sit supernaturalitas, & vitalitas, negant tamen Thomistæ, posse ab uno causari secundum rationem vitalitatis, & altero secundum rationem supernaturalitatis; sed dicunt, quod causa, quæ non potest visionem producere sub ratione supernaturalitatis, nec illam producere potest sub ratione vitalitatis: sed aliqui actus sunt, in quibus id, quod entitatis, & actionis est, non potest in re separari a deformitate, ut sunt actus odii Dei, & adulteria; ergo Deus non potest causare istos quantum ad entitatem: nisi causet etiam quoad deformitatem; vel si quantum ad istam causare non potest, nec poterit quantum ad illam.

Oppones secundo. Deus non aliter causat actus bonos, nisi quatenus illos efficaciter vult, & dat voluntati efficaciam ad illos; ergo si eodem modo vult efficaciter actiones malas, erit eodem modo causa actionis malæ sicut est bonæ.

LXXIV. Respondetur, ad primam dist. maj. si sub utraque causabilis sit, conc. maj. Si sub una causabilis sit, & sub una habeat causam effectivam, sub alia causam solum defectivam, nego maj. Neque obstat, quod aliqui actus mali inseparabiles sint a malitia. Nego enim in primis, dari actum, cui necessario, quatenus actus humanus est, sit annexa malitia, eo quod nullus datur actus, qui sit essentialiter malus. Quamvis enim odium Dei, adulterium &c. sint essentialiter peccata, actus tamen humani, quibus illa fiunt, secundum substantiam entitates sunt physicæ, & ideo bonæ; quamvis, ut translatæ ad esse morale, illis accidat defectus.

Neque obest, quod illi actus sint inseparabiles a malitia, quia (ut ait D. Th. *in* 2. *dist.* 37. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 5.) *Sicut actio, qua peccati deformitatem habet, dicitur bona in quantum est actio bonitate naturæ; non propter hoc, quod aliquando inveniatur separata a deformitate; sed quia bonitas illa naturæ deformitati subsistit: ita Deus dicitur esse causa illius actionis in quantum est actio, non in quantum est deformis: non hoc modo, quod actionem faciat a deformitate separatam, sed quia in actione deformitati conjunctæ, hoc quod est actionis facit, & quod deformitatis non facit. Etsi enim in aliquo effectu plura inseparabiliter conjuncta sunt, non oportet, ut quidquid est causa ejus quantum ad unum, sit causa ejus quantum ad alterum: sicut natura est causa oculi quantum ad substantiam ejus, & non quantum ad defectum cæcitatis, quæ ex natura defectu incidit.* Hæc D. Th. ibi, & 1. 2. *q.* 79. *art.* 2. *ad* 3. Unde sumitur disparitas inter deformitatem, & supernaturalitatem. Nam hæc est differentia specifica actus vitalis contenta sub eodem genere; ideoque ab eodem principio, a quo est vitalitas actus, debet esse supernaturalitas; & qui ad supernaturalitatem concurrere non potest, nec potest ad vitalitatem in ea repertam sicut qui nequit producere rationalitatem, non potest animalitatem in homine causare. At malitia, seu deformitas, non est quasi differentia specifica actus, sed aliqua privatio debitæ rectitudinis, quæ non dat speciem actui, sed ad speciem actus consequitur; ideoque, qui est causa actus, non est necesse, ut sit causa deformitatis: sicut anima est causa motus in tibia, quin sit causa curvitatis in motu. *Actus & habitus* (inquit D. Th. laudatus) *non sumunt speciem ex ipsa privatione, in qua consistit ratio mali, sed ex aliquo objecto, cui conjungitur talis privatio. Et sic talis defectus, qui dicitur non esse a Deo, pertinet ad speciem actus consequenter, & non quasi differentia specifica.*

LXXV. Addo, totum hoc instari posse etiam in sententia contraria. Qua & ipsa admittit Deum simultanee concurrere cum voluntate creata ad actionem peccati, quin ad deformitatem concurrat, quamvis hæc inseparabilis sit. Nec juvat dicere, quod Deus concurrit quidem cum creata voluntate ad actiones malas, sed invitus, & nolens.

Nam contra. Ad actionem enim quatenus actio est, non potest Deus concurrere nolens; quia Deus non odit id, quod facit *Sap.* 11. *v.* 24. *Nihil odisti eorum, quæ fecisti*, quia cuncta, quæ Deus facit bona sunt, *Gen.* 1. *v.* 31. Quod si dicat, quod Deus concurrat nolens ad eam quatenus peccaminosa est; ergo (dicam ego) etiam in nostra sententia poterit concurrere volens entitatem, & nolens malitiam; quia hæc cadit a ratione formali causalitatis, & voluntatis divinæ, a qua non cadit entitas actionis.

Contra secundo. Deus voluit martyria Christianorum, etsi connexa cum peccato Tyrannorum. Voluit, immo præcepit mortem Christi, esto inseparabilem a peccato Judæorum, & Crucifigentium, quin voluerit peccatum Tyrannorum, & Crucifigentium: Ergo potest velle actionem, quamvis in re cum malitia conjunctam, quin velit malitiam; quia alio modo, & ex alio fine Deus vult actionem illam, quam velit creatura. Videatur D. Th. 3. *p. q.* 47. *art.* 3. & *art.* 6. *ad* 3.

LXXVI. Ad id, quod secundo opponitur, respondeo cum D. Th. *in* 2. *dist.* 37. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 3. quod *Deus dicitur causa bonarum operationum, non solum quantum ad essentiam actus, sed etiam quantum ad perfectionem, secundum quam bona dicuntur: utramque enim agenti influit; & ut agat, & ut bene agat. Sed in malis actionibus, quamvis sit causa earum quantum ad essentiam, non tamen est causa quantum ad defectum: & ideo absolute dicendus est causa bonorum operum, non autem peccatorum.*

LXXVII. Sed contra dicta varie insurgunt. Primo. Homo non est causa peccati, nisi quia vult, & causat actum peccati; quia nullus intendit peccatum ipsum, cum sit malum; ergo si Deus causat, & vult actionem, vult, & causat etiam peccatum.

Secundo. Qui est causa antecedentis, est causa consequentis; ergo si Deus est causa movens ad actum peccati, erit causa movens ad peccandum; qui enim est causa alicujus; est causa alterius, quod ei jungitur inseparabiliter.

Tertio. Motio physica efficacior est, quam moralis: at si Deus moveret moraliter ad actionem malam, moveret ad eam quatenus malam; ergo si movet physice ad illam, movet ad illam quatenus malam.

Quarto. Ex D. Th. 1. 2. q. 71. art. 5. *Qui vult aliquid, cum quo aliud simul esse non potest, ex consequenti vult illo carere, nisi forte non perpendat*: sed cum actione mala non potest stare rectitudo; ergo Deus volens actionem, cum qua nequit esse rectitudo, vult etiam ipsam carentiam rectitudinis.

Quinto. Ponens medium efficax ad finem, dicitur esse causa finis, & volens finem: sed entitas actionis malæ est medium efficaciter disponens ad malitiam; ergo Deus volens, & causans entitatem &c.

LXXVIII. Ad

LXXVIII. Ad hæc omnia, quæ si bene considerentur æque militant contra concursum simultaneum, respondendum est, Ad primam dico cum D. Th. 1. 2. *q.* 79. *art.* 2. *ad* 2. & *q.* 3. *de malo art.* 2. *ad* 1. *quod homo, qui peccat, licet per se non velit deformitatem peccati, tamen deformitas peccati alicuomodo cadit sub voluntate peccantis, dum scilicet magis eligit deformitatem peccati incurrere, quam ab actu cessare. Sed deformitas peccati nullo modo cadit sub voluntate divina, sed consequitur ex hoc, quod liberum arbitrium recedit ab ordine voluntatis divinæ.* A quo cum recedere nequeat Deus, ideo sic tangit actionem, ut ejus defectum non attingat. Sicut esto creata voluntas nequeat simultanee concurrere ad actionem malam, quin concurrat ad defectum, bene tamen Deus.

LXXIX. Ad secundum, dist. ant. quod est causa antecedentis, ut connexi cum consequente, est causa &c. conc. ant. quod est causa antecedentis absolute, & non ut connexi cum consequente, est causa &c. neg. antec. & conseq. Deus enim non est actionis causa, ut cum deformitate connexæ, hujus enim sola voluntas creata causa est. Et in hoc sensu explicari etiam potest illud axioma; *quod est causa causæ est causa causati.* Tunc enim verum est, quando antecedens est causa naturalis, & necessaria consequentis, secus vero si consequens ex alia causa esse possit. Actio autem quatenus actio est, non est caussa necessaria defectus, sed hic accidit illi ex alia causa deordinante ipsam ab ordine voluntatis divinæ.

Simili argumento respondens D. Th. 1. *p. q.* 49. *art.* 2. *ad* 2. *Effectus* (inquit) *causæ secundæ deficientis reducitur in primam non deficientem quantum ad id, quod habet entitatis, & perfectionis, non autem quantum ad id, quod habet de defectu: sicut quidquid est motus in claudicatione, causatur a virtute motiva, sed quod est obliquitatis in ea, non est ex virtute motiva, sed ex curvitate cruris: Et similiter quidquid est entitatis, & actionis in actione mala reducitur in Deum sicut in causam, sed quod est ibi defectus non causatur a Deo, sed ex causa secunda deficiente.* Nec ad hanc doctrinam comprobandam familiaria desunt exempla. Propellens enim claudum, ut progrediatur, est causa, cur progrediatur, & tamen non est causa, cur ille processus sit claudicatio. Quando duo trahunt navem, is qui est alteri causa trahendi non peccat, si bono fine id faciat; cum tamen alter peccare possit, si trahat in malum finem. Multo ergo magis fieri potest, ut quando duæ causæ sunt subordinatæ, defectus referatur in causam proximam, non in primam.

LXXX. Ad tertium, dist. maj. Motio physica efficacior est efficacia sui ordinis, & physica, conc. maj. Efficacia alterius ordinis, nempe moralis, neg. maj. Efficacior quidem est motio physica inferendo, & causando in actione, quod physicum, & entitativum est; a linea vero morali quantum ex se est præscindit, & maxime si motio sit primæ causæ pure effective. Quod si actio cum defectu conjungitur, hoc ideo est, quia cum causa pure effectiva causa defectiva conjungitur. At motio moralis, si, puta præcepto, suasione, aut consilio moveat ad actum malum, non potest a malitia præscindere, quia id non facit causando entitatem actionis, sed proponendo voluntati, eique ostendendo bonum, & faciendum, quod aut bonum, aut faciendum non est. Ideoque si Deus moraliter moveret, a malitia non posset præscindere, bene tamen, dum movet physice.

LXXXI. Ad quartum, dico primo, hoc pati evidentem instantiam in adversa sententia. Nam enim qui vult concurrere cum alio ad aliquid, cui est annexa aliqua privatio, censetur velle concurrere ad illam privationem, nisi forte non advertat; sed Deus vult concurrere cum creatura ad actionem, cui scit esse annexam privationem rectitudinis; ergo vult hanc privationem.

Dico ergo secundo, regulam illam S. Thomæ esse intelligendam de volente particulari, & qui tenetur talem privationem vitare; non vero de volente universali, & qui defectus vitare non tenetur, sed ejus potius est in aliquibus permittere. Eam ergo protulit D. Th. ut ostenderet, quod qui vult aliquid, cum quo aliud simul esse non potest (*puta cum aliquis vult ludere, quando ad Ecclesiam debet ire*) ex consequenti vult illo carere, nisi forte non perpendat, *quod per hoc quod vult facere impeditur ab eo, quod facere tenetur.* — Quare: Capreolus in 2. dist. 37. q. 1. *Ad hoc* (inquit) *quod defectus culpabilis consequens actum imputetur agenti, non sufficit quod agens producat actum, & quod habeat dominium illius actus, & quod non ignoret defectum; immo ultra hoc requiritur, quod agens debeat, & teneatur vitare talem defectum, & causare oppositum illius defectus: Item quod agens, cui talis defectus imputatur, velit aliquomodo illum defectum.* Cum ergo Deus, utpote volens universale, non teneatur impedire talem defectum immo ad eum pertineat permittere aliquos defectus in particularibus; ut dicemus sequenti tractatu cum Divo Thoma *q.* 22. *art.* 2. *ad* 2. Cum insuper tales defectus licet permittat, non tamen velit, neque ab eo sint volibiles: ideo etsi moveat voluntatem creatam ad actionem, etsi norit tali actioni conjungendum fore defectum, adhuc tamen defectus non imputatur Deo permittenti, sed voluntati defectibili. Hinc dum movet Sacerdotem ad consecrandum, esto præsciat eum sacrilege consecraturum, tale sacrilegium Deo non imputatur, sed Sacerdoti, quia Deus movet quidem ad actionem quatenus consecrativa est, sed quod cum sacrilegio conjungatur, ex prava consecrantis voluntate est, quamvis hoc Deus permittat.

LXXXII. Ad quintum, distingue min. Entitas, ut a voluntate deficiente procedens, est medium &c. conc. min. Ut a Deo efficiente, neg. min. Entitas enim actionis malæ, ut a Deo est, est quidem substratum, & fundamentum, supra quod causa deficiens fabricat malitiam, non tamen est medium ad eam disponens, sed a malitia præscindit. Sicut motus tibiæ curvæ est quidem medium efficaciter disponens ad claudicationem, ut consideratur a tibia curva procedens, non tamen ut consideratur procedens ab anima.

Addo, quod illa propositio: *ponens medium efficax ad finem dicitur esse causa finis, & volens finem*, vera est de eo, qui ponit medium formaliter, ut medium, propter illum finem, & ex voluntate illius finis. Secus vero de eo, qui ponit medium pure materialiter, nec propter finem, nec ex amore illius finis, sicut actio, cui conjungitur defectus, ponitur a Deo.

Neque tandem sequitur, quod si Deus movet homines etiam ad actiones, quæ malæ sunt, homo Deo auctore fiat deterior; quia qui causat actum, quo homo fit deterior, eo auctore fit deterior, ut videtur dicere S. Augustinus *lib.* 83. *q.* 3. Nam hoc verum esset, si homo fieret deterior actione, quatenus a Deo volita, & a Deo causata: sed cum homo fiat deterior ea actione, quatenus eam deordinat a Dei voluntate, homo se ipso auctore fit deterior, non auctore Deo.

Hæc de præsenti quæstione, quæ Veterum, ac Recentiorum semper torsit ingenia: de qua post omne possibile examen, ac exactissimam inquisitionem, concludendum tandem cum D. Paulo est: O *altitudo divitiarum Sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus. Quis enim cognovit sensum Domini? . . . Quoniam ex ipso, & per ipsum & in ipso sunt omnia.* Rom. 11. *vers.* 33. &c. Superest, ut, qui confessi sumus, Deum omnem nostræ voluntatis motum non tollere, non impedire sua efficientia, sed prævenire, & facere, humiliter eum rogemus, ut omnes actiones nostras semper aspirando præveniat, & prosequatur adjuvando. Agat in nobis ille, qui nos movendo non minus potest facere, ut libere agamus, quam, ut agamus. Ille faciat, ut bene agamus, cujus est totum quod est optimum, & cui debemus initium, progressum, & finem boni operis: ille qui solus potest propitius ad se compellere voluntates, ut tandem eo nos perducat, ubi rebelles amplius esse non possimus.